

istam tollentem. De quâ voce vid. *Cass. Klock. de Aerario l. II. c. 21. §. 14.* Majoris ergò ponderis videtur illa esse æquivocatio, quâ non argenti tantum; sed etiam omnes metalli cujusq; generis ac materiæ fodinas aliquando notari, scribit *Speidel. Spec. Jur. Philol. Hist. Pol. in not. voce Bergwerck / p. 132.* Verum id minùs propriè fieri potest, cum translatio sit; propria autem atque frequentior significatio ab argento est, & ita quoque hoc loco accipitur. Germanica vox Silber nonnullis à Sulphure tanquam materia videtur deducta, quibus nec *Mathesius* contradicere cupit. Græca est ἀργυρεῖα, ab ἀργός, ratione coloris albi translata. Hebraica אֶרֶב eò, quod homines argentum ament, cupiant ac venerentur. Atque sic inscriptionis Germanicæ ratio patet: Das Erzgebürgische Silber, Bergwerck. Puta iterum, quatenus hodie ad territorium Serenissimi Saxoniae Electoris pertinet. Et hæc de Onomatologia sufficiant.

PARTIS GENERALIS CAP. II.

De

Hermundurorum Metallurgiæ argentariæ Pragmatologia.

S U M M A R I A.

§. 1. Pragmatologiæ partes recensentur, ubi existentiâ metallurgiæ arg. probatur tum §. 2. generaliter, tum §. 3. specialiter ex metallurgiâ Freibergensi, tanquam §. 4. primâ Hermundurorum, item §. 5. Schneebergensi, §. 6. incomparabili, errore calculi non obstante, porro §. 7. Annebergensi, §. 8. Mariebergensi & §. 9. Wolckensteinensi, aliisve. Hinc §. 10. distinguitur & partim a qualitate §. 11. in fodinam & §. 12. mensuram, partim a quantitate §. 13. quæ vel diversa est in mensuris & fodinis, vel eadem, §. 14. in partibus in Ruxen. Tandem §. 15. describitur per artem, quæ mechanicæ similis est.

§. I.

HÆc non circa nomen, sed circa rem ipsam est occupata, continetque tres questiones: Prima est, an detur Metallurgia talis; altera, quid sit, exponit; tertia, quotuplex sit, distinguit. Has expediemus ordine.

§. 2.